DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

QUÆDAM DE

MORBIS VENEREIS

COMPLECTENS.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS

QUÆDAM DE

MORBIS VENEREIS

COMPLECTENS;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET
NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS:

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOSEPHUS BROWN,

ANGLUS,

SOCIET. REG MED. EDIN. SOCIUS EXTRAORD.
COHORTIS EQUITUM PRÆTORIANORUM NUPER CHIRURGUS.

.............Sentire quæ velis, et quæ sentias dicere licet.
TACITUS, Hist. Lib. I.

IV. Nonæ Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:
EXCUDEBAT P. NEILL.

MDCCCXIX.

JACOBO M'GREGOR, Equiti, M.D.

Coll. Reg. Chir. Edin. Socio,

PRINCIPIS BRITANNIAS REGENTIS

EXERCITUUM BRITANNICORUM

PRIMARIO MEDICO;

JACOBO McGRIGOR, Equiti, M. D.

S. R. L. & E. S.

COLL. REG. MED. EDIN. SOCIO,

PRINCIPIS BRITANNIAS REGENTIS

MEDICO EXTRAORDINARIO,

EXERCITUUM BRITANNICORUM

PRIMARIO MEDICO:

NECNON,

GEORGIO SCOVELL,

EQUITI BALNEI,

PRÆTORIANORUM EQUITUM

COHORTIS

NUPER SUMMO PRÆFECTO;

HOCCE OPUSCULUM,

GRATI ANIMI

PIGNUS,

CONSECRAT

AUCTOR.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

QUÆDAM DE

MORBIS VENEREIS

COMPLECTENS.

Auctore Josepho Brown.

Quod mutationes quædam et graves in hominum opinionibus de Morbis Venereis nuper evenerint, omnibus notum est; nec minus quod hæ mutationes rebus factisque nitantur, quæ nemo dubitabit, quin simul hominum, extra omnem fallaciæ suspicionem, fidem insimulare videbitur. Hæc facta nonnulli inventionis gloria do-

narunt; verum quam parum hac laude digna sint, disceptatio nostra docebit. Quin si inter inventa referre utique certum est, cum repertis apud hodiernos haud infrequentibus conjungantur, quæ nova videntur solummodo quia veteres scriptores negligere mos est,—cum repertis olim familiaribus, nunc penitus oblitis, quæ hominibus acribus et perspicacibus iterum inventa, in lucem ut recentia, furto quasi involuntario, denuo proferuntur.

In omnes Historiæ Syphilidis nodos inquirere, conamen esset æque supra vires nostras et limites quibus disceptationes hujusmodi cohiberi solent. Quod morbi venerei auctoribus, quibus id sperari potuit, omnibus, omniumque ætatum indicati fuerint, satis constat, quodque discriminatio inter nonnullos ex his morbis et malum apud finem sæculi XVmi Europæ, ut creditur, invectum tentata est, medicis omnibus familiare. Num vero omnes hanc discriminationem in ea sententia fundarunt, morbum quendam venereum existere tali indole ut, ni hydrargyro cohibitus, ad ægri destructionem usque procederet, nescio. Locus infra citatus nonnullos ita sentire manifeste edocet: " Secondly, The

constitution has NO power over the diseased action this poison occasions, nor, indeed, has any remedy but mercury, the use of which was little known in Europe when the venereal poison first appeared *." Distinctionis hujus veritatem, nisi quoad hoc afficitur, quod nullus unquam extiterit morbus, cui hydrargyrum fuit prorsus necessarium, intactam relinquere destinavi. Limites enim hujus dissertationis, forsan et etiam rei difficultas, me cogunt.

Post hydrargyrum e lue exclusum, crebro affirmatum fuit eventum felicem probare, non quod lues sine hydrargyro sanari possit, sed quod ipsa extincta aut rarissima facta esset. Qui error, ex lue nunc sine hydrargyro fugata deductus, satis, ni fallor, evincetur, si hos morbos omni tempore, etiam cum strages teterrimas edebant, et species præsertim intractabilis syphilis recens COLUMBO introducta credebatur, sine hydrargyro curabiles fuisse, demonstrem.

Ut ab iis ante Americam inventam medicis incipiam, HIPPOCRATES in Epidemicis ubi men-

* ADAM's Morbid Poisons, cap. iv.

tionem facit de morbis illius anni pestiferi, ut creditur, cujus pestem tam enucleate descripsit THUCYDIDES, Erysipelas scribit, quod gravius erat quum genitalia corripuisset. Hoc, verisimile est, ulcus penis gangrænosum intellexit, cujus inflammatio aterrima, in gangrænam desinens, erysipelatis pejoris imaginem refert. Libro περι Αδενων, bubonum et eorum ad suppurationem proclivitatis, mentionem facit ; atque in "Morbis Mulierum," ulcera matricis et glandes inguinis suppurantes nuncupat. ASTRUCCII de his verbis observata notatu digna sunt : "Morbi," inquit ille, "de quibus loquitur acuti, epidemici, cum febre conjuncti et a tempestate humida et austrina inducti fuerunt, cum, a contra, lues venerea chronica et sporadica sit, sine febre invadat et solo veneris usu propagetur. Adde morbos illos curatos fuisse vel sponte, quod lui venereæ non convenit, vel saltem methodo, quæ ad luis venereæ curationem plane inefficax esset." Nunc quamvis HIPPOCRATES, ut dictum est, genitalium erysipelas per unam æstatem grassans descripserit ; aliis tamen locis affectus sporadicos et chronicos citat, quos venereos esse credere solemus. In commate As-

TRUCCII jam laudato secundo, argumento, ut illi æmulisque apparet invicto, et omnem ante annum 1493 morbum Venereum designante utitur: "Morbos Hippocraticos, sine hydrargyro sanatos esse, ideoque ab hodiernis toto cœlo discrepasse." Quæstione de recentium et antiquorum morborum venereorum similitudine penitus abdico; sed in hocce tentamine probatum iri spero, quod discrepantia eorum de hoc argumento nihil roboris deducere possit. Lucida illa penis ulcerum variorum descriptio quam in CELSI capite nono libri quinti videas, omnibus adeo pertrita est ut nihil de eadem adjiciendum puto, nisi quod his etiam verbis ulcusculum cum callo quodam adumbrasse CELSUS mihi appareat. "Occalescit interdum in hac parte aliquid, idque omni pene sensu caret." VERRUCAS (φυματα) prius dixerat. Libri quarti capite primo, Gonorrhœam nuncupat: "Nimia profusio seminis, sine venere, sine nocturnis imaginibus." In lib. v. cap. 28. De Bubone, "φυγεθλον" loquitur.

DIOSCORIDES *, GALENUS †, et SCRIBONIUS

* Apud GRUNER, p. 7.

† Finit. Med. p. 189. et seq. et Medico.

Largus *, omnes plenissime de signis venereis primariis tractarunt. Fœmina a Plinio juniore (Lib. v. Epist. 24.) narrata, morti se cum marito devovens, quia huic cauda ex ulcere diutino exciderat, plurimis celebrata est; atque historiam hujusmodi haud inscitam de Herone quodam Palladius † narravit; sed cum res nobis potius cum hodiernis quam antiquis sit, locis jam citatis contentus ero.

Pene ineptiæ essent hos veterum morbos sine hydrargyro curabiles fuisse probare, omnes enim, ni fallor, concesserunt. Inspiciantur Celsi, ulcera venerea tam mire describentis, præcepta et nusquam argentum vivum adhibitum aut nominatum esse invenies. Nunquam vero apud Græcos etiam recentiores, veluti Galenum et Dioscoridem, nisi ut venenum vituperandum nominatur.

Ad Arabes, qui primi hydrargyrum, licet non, ut apparet, in morbis venereis, adhibuerunt; et

---

* De Compositis Med.

† Palladii Episcopi Zulempoleos, Historia Lusiaca. In sæculo quinto Æ. Ch. scripsit hic auctor, regnante Theodosio Secundo.

ad Arabistas, hoc est Europæos sæculorum mediorum, doctrinas a prioribus deducentes, nunc transeo.

ISAAC, MESVE, RHASES et AVICENNA, de variis casibus venereis plenissime agunt; sed nullibi hydrargyrum iis præscribunt, quamvis de hujus gentis medicis, ut omnibus constat, hydrargyrum in malis cutis adhibentibus, usus ejus in syphilide deductus fuerit iis, qui hunc morbum curaverunt, cum, specie pestilentiæ, in Europa sæviit. Quoniam theoriæ tunc temporis vigentes, omnia mala non a manifesta violentia, ut ictu, provenientia, humori cuidam in partem conjecto, bilioso, pituitario aliive tribuerunt, hæc nec Græcis, nec Latinis, nec Arabibus, coitui impuro ascribuntur, quamvis tunc ab eadem qua nunc causa, nullo dubio, oriebantur. Nihilominus apud Arabistas antiquissimos, scriptores quosdam tali causæ ea referre invenimus. MICHAEL SCOTT, exempli gratia, qui scripsit "De Procreatione Hominis Opus," inter annos 1214 et 1291, dicit: "Si vero mulier fluxum patiatur, et vir eam cognoscat, facile sibi virga vitiatur, ut patet in adolescentulis, qui hoc ignorantes vitiantur quandoque vir-

ga, quandoque *lepra* *." Ex iisdem Arabistis, Gulielmus de Salaceto, in anno 1270, Lanfrancus de Milan in 1290, Bernardus Gordon in 1300, Johannes de Gaddesden in 1320, Guido de Chanliac in 1360, Valescus de Tarento in 1400, Petrus de Argellata in 1470, omnes fusissime de penis ulceribus scripserunt, quæ oriantur " ex commixtione cum fœda muliere, quæ cum ægro talem habente morbum coierat." Scribunt quoque de Bubone, qui fit " cum accidit homini corruptio in virga prop-

---

* Hoc notatu dignum est, nam indicia suspicionis nexus cujusdam inter morbos genitalium et mala cutis, perrara sunt in auctoribus qui ante sæculum xv^mum aut tempus quo syphilis in Europam illata fuisse creditur, scripserunt. Aliud exemplum hujusmodi citare possum: " Accidit Machumet, filio Alchasem, pruritus in corpore et bothor" (pustulæ). Et Bothor etiam in virga, non cum ejus capite, et prognosticatus fui, quod evenerint in capite ejus virgæ, quia videram ipsum prius emittentem saniem cum urina. Et sic fuit." Rhases, ordinatus et correctus per Hieronymum Curiarum. Venetiis, 1509. Rhases diem suum obiit anno Ch. 1010.

ter concubitum cum fœda muliere." Scriptor ultimus, Petrus de Argellata, lectores monet ne lotiones stimulantes ulceribus adhibeant, donec æger rite purgatus fuerit, alias, hac præparatione neglecta, bubonem supervenire pronissimum esse: quæ res hominis ingenium et judicium haud ambigue declarat. Valescus de Tarento fusissimam talium ulcerum dedit curationem. Remedia ejus topica sunt, sed nulla ex hydrargyro. Partem sphacelo correptam, aloë vel plumbi acetate respergit. "Si corruptio in tantum fuerit augmentata quod locus appareat niger et corruptus et mortificatus et fœtens," partem removeri suadet, "quia amplius forma sanitatis non potest introduci." Alii auctores jam laudati æqualiter silent de argento vivo, ad morborum venereorum curationem adhibito.

Ad illud nunc pervenimus tempus, ubi novus morbus Europæ introductus fuisse dicitur,—morbus, ut porro suspicantur, nonnisi hydrargyro domabilis; quique primam suam vehementiam huic metallo neglecto vel incognito debet. Illius mali, quod tantas edidit strages, tantumque attentionis in se attraxit, originem aut naturam non hic perquirere consilium est. Haudqua-

quam tamen crudelem ejus lethalemque progressum, hydrargyro ignorato referendum esse puto, quoniam morbi adventus, et hydrargyri ei sananda exhibitio, etiam medicis regularibus, propemodum contemporanea fuerunt. JOSEPHUS GRUNDBECKIUS *, et CONRADINUS GILINUS †, in 1496 uterque hydrargyro subinde usi sunt; quod et GASPAR TORELLA, ALEXANDRO Sexto Pont. Max. Medicus, licet hic mortem Cardinalis Segoviæ Pontificis nepotis prædixisset, " quia unguento istiusmodi curatus, marasmatus fuit." Alii horum æquales scriptores, haud minus ac TORELLA, efficaciam hujus metalli disputaverunt. Exempli gratia, SEBASTIANUS AQUILANUS, ante annum 1498, de hydrargyro inuncto agens, hæc verba habet " Etenim potius sophistica invenitur quam vera; nam vidi fere omnes recidivisse ut prius." Diu ante annum 1493, hydrargyrum Arabibus usurpatum est in morbis cutis, et ex similitudine valde obvia medicos sæculi decimi quinti in luem adhibere duxerat. Cuicunque causæ pe-

* Tractatus de Pestilentiale Scorra.

† Opusculum de Morbo Gallico, &c.

culiaris frequentia et ingens violentia luis hoc sæculo tribuenda sit, quæstione dignissimum est: Certe hydrargyri omissio non eam induxisse videtur.

Quod ad necessitatem hydrargyri pro lue sananda, ut in fine sæculi decimi quinti, initioque decimi sexti extitit, auctores sequentes, quos ex plurimis selegi, utpote illius temporis nobilissimi, dubitanti satisfacere valeant.

Josephus Grundbeckius * affirmat, quod suo tempore (1496), non tantum exulceratio penis, sed omnia vitia venerea sanari possent sanguinis missione a pede, laxantibus subinde exhibitis, haustibus quibusdam diæteticis, quorum formulæ nimis perplexæ sunt ut rescriberem, sine tamen ullo hydrargyro, quodque æger fiet "validior, sanior et robustior quam unquam antehac fuit."

Gaspar Torella, in 1497, (inter tres et quatuor annos post reditum Columbi a primo

---

* Vide Tractatum de Pestilentiale Scorra, &c. compilatum a venerabile viro Magistro Josepho Grundbeckio; apud Gruneri Aphrodisiacum, p. 54.

itinere ejus), curationem luis a seipso usurpatam ita descripsit: "Nihilominus si quis infectus in pudendo vellet præservari, ne in deteriorem lapsum cadat, recordetur imprimis et summopere sibi caveat ne aliqua styptica aut repulsum facientia in hoc loco ulcerato ponat, nam talia impellunt materias corruptas ad interiora." "Item caveat ne talia ulcera consolidet, quousque omnia inferius scripta completa fuerint." Hæc sunt, sanguinis missio a vena basilica aut saphæna, boli armeniaci aut sanguinis draconis pubi applicatio, "ut viæ claudantur de talis materia ad superiora conscendere possit." Ulcera recentiora aloe, vetustiora tutia respergi jubet, hisque remediis sanescunt*.

Post hæc tradit "quinque consilia adversus pudendagram," a quibus apparet quinque homines sub signis luis secundariis (quæ omnia fusissime describuntur) laborantes, malis, nec ullo hydrargyro adhibito, liberatos esse †.

---

* Vide De Ulceribus in Pudendagra; Tractatum in Luisini Aphrodisiaco. Ed. Boerhaave, p. 538.

* Ibid. p. 546.

Massa optimo jure hoc in loco citatur; ille enim, secundum Friend, ex omnibus, qui luem sæculi xvi^{mi} incipientis scriptis illustrabant, practicam maxime scientiam habuit, et ex omnibus hydrargyrum vehementissime laudavit. Hujus remedii haud minus ac guaiaci, sarsaparillæ, radicis chinæ, rationis etiam qua præparantur morboque applicantur, historia fusissima, excellentissima, quæ hodie etiam haud sine commodo perlegi possit, in scriptis ejus occurrit. Morbum singulis horum sanari posse edocet: Hydrargyri efficaciam in ulceribus callosis summis effert laudibus, quam quidem nemo lue curanda exercitatus negare potest: "Sanatque ulcera maligna in ipsis duritiem resolvendo." Præcepta quæ pro diæta regimineque observanda dedit, in hydrargyro exhibendo, optima sunt, nec alia quam hodie eidem usui præstantissimi auctores mandarunt. Attamen, licet historiam horum omnium auxiliorum dederit abunde copiosam, non tamen quodpiam ex his necessarium cuilibet morbi formæ credidit. Contra, affirmat eum removeri posse "therapeia methodica," sine ullo ex his remediis. Hæc "Therapeia Methodica," quamvis satis prolixe nar-

rata, variisque cogitationibus, a doctrina Galenica humorum derivatis, atque formulis abunde operosis impedita, e missione sanguinis, purgatione, diætaque levi, constitisse apparet; quæ remedia ab iis parum discrepant hodie, hydrargyro subducto, efficacissime usurpatis.

Sanguinis missio MASSÆ remedium est princeps, ut a loco infra citato judicari potest: "Sed nota, quod si æger est cum pustulis multis, semel in hebdomada apponere decem vel plures ventosas est singulare præsidium, quoniam ex documento HIPPOCRATIS, undecunque natura repit, inde educere oportet, et cum natura ad cutaneas partes hoc faciat, apponantur sæpe, ut puta quater aut quinquies, antequam perfecta sit pharmacorum purgatio, et ego isto regimine multos sanavi. Verum est quod si corpus est plethoricum, ego facio phlebotomiam, post primam evacuationem cum pharmaco, a vena basilica dextri lateris, et quantitas sit secundum dispositionem ægri, puta quinque unciæ vel sex, et plus et minus. Et aliquando reitera ipsam post decem dies, neque hoc est inconveniens, quoniam multi fuerunt sanitati restituti, qui noviter ægrotarunt, ex *sola phlebotomia* cum

bono regimine ; et duos juvenes vidi, qui ex apertione venæ saphænæ tantum, usque ad syncopen, fuerunt liberati. Sed esto prudens, quia non competit omnibus, et tutior via est via media." Post hæc optimum denarrat exemplum "juvenis ætatis xxv annorum, cholericæ complexionis, satis adustæ, qui ex contagione mulieris patiebatur hanc ægritudinem, cum ulceribus in virga profundis et corrosivis, cum doloribus juncturarum et aliquibus pustulis in capite, et hinc inde per corpus sparsis, quæ ex colore ad nigredinem ostendebant adustionem humorum per admistionem humoris melancholici, cum quibus patiebatur in occasu solis dolorem intensissimum capitis," &c. Hicce æger revaluit ex sanguinis missione, cucurbitulis scarificatis, victu idoneo, potu, cujus electuarium lenitivum præcipuam partem constituisse videtur, certis demum syrupis pilulisque operosissimis, sed quæ nullum hydrargyrum nec aliud ex specificis creditis habuerunt *.

---

* Nicolani Massæ de Morbo Gallico, cap. 7. Hoc opus in lucem edidit, Venetiis, 1532; testis autem mor-

JOHANNES de VIGO, hydrargyro certe haud inimicus, sed emplastri cujusdam ex eo, adhuc in Continenti sub ejus nomine usurpati, inventor, morbum sine hydrargyro sanari posse obnuntiat, et remediis vix non iisdem, quæ MASSA descripsit. Eum autem his remediis nonnunquam frustratum, et ipsius verba docent: "Et quia ALIQUANDO hujusmodi morbus obedientiam auxiliis minime præstare solet, præsertim ad dolores auferendos; idcirco, quum ante dicta curatione iste morbus cum suis doloribus et pustulis removeri non possit, tum ad ulteriora remedia transeundum, præsertim ad unctiones et cerota in quibus ingreditur argentum vivum." Ab hoc apparet, quod Therapeia Methodica in nonnullis pertinacioribus exemplis subinde VIGONEM frustraverit, verum eadem sæpe profecisse ostenditur.

Notari potest, me supra auctores citasse, aut æquales exortui luis supposito, aut tam brevi postea florentes, ut ipsos morbum propemodum

---

bi ab ipso initio. Vir fuit summæ auctoritatis inter medicos contemporaneos ejus.

a cunabulis observasse oporteat. Inter eos quos laudavi, de una saltem re nulla existit discrepantia; morbum scilicet sine hydrargyro vel alio specifico reputato sanari posse. Si auctores eorumque loca multiplicare usui crederem, complures eadem illustrantes cumulare possem; sed hoc parum utile videtur. Morbum sarsaparilla, radice chinense, præ omnibus guaiaco, vel, ut ipsi vocant, Ligno Sancto, curari posse nemo ex scriptoribus istius temporis vel minimum dubii expressit. Curiosi de ratione qua medici illius sæculi guaiacum administrabant, aut efficacia ejus confiderunt, ULRICHUM de HUTTEN adeant, et præsertim ANTONII GALLI de Ligno Sancto non permiscendo opus, aut ALPHONSI FERRI de Morbo Gallico et Ligni Sancti natura usuque multiplice libros quatuor.

Omnia luis signa primaria sine metallo sanabilia esse inferri potuit, etiam ex Commentario Doctoris FERGUSSON, in Actis Medico-chirurgicis; aut ii qui peculiaris aliquid in morbo jam Lusitanico credebant, dubia sua resolvissent, si Præfationem BOERHAVII ad Aphrodisiacum Luisini legissent. Ibi enim vir ille illustrissimus nos docet se cancros venereos sine hydrar-

gyro, contra tamen praxin tum vulgarem, curare solitum esse: "Neque miretur quis," inquit ille, "simplice hac methodo, atque absque mercurio quidem, utendum me statuere; quum omnes fere artifices statuunt solum argentum vivum hic valere, solum necessario requiri ad hanc curationem. Sciat modo me hic tantum hucusque agere de uno externo loco affecto, recenti et ubi labes inquinandi unice hæret in tali ulcusculo. Tum scilicet præmitto sanationem perfectam ex præscripta curationis via; certus sum illam sufficere." Ut ab hoc loco judicari potest, BOERHAAVIUS hydrargyrum in signis secundariis exhibeat, iis semper exceptis, quibus ossa dolebant; quo facto, guaiaco et maxime favebat et fidebat.

Duæ tantum, ni fallor, opiniones de his morbis invaluerunt: quarum prima est, ut ab omni tempore eademque forma et indole qua nunc vidimus extiterunt, atque hæc BECKETT, BENJAMINO BELL, aliisque nonnullis placuit. Alia est, quod præter hos, alius morbus, videlicet, Syphilis, ab Hispaniola per CHRISTOPHERUM COLUMBUM, in Europam opportatus, certe eodem tempore, quo novus repertus orbis, apparens, ex-

istit. Hæc erat opinio ASTRUCCII, JOANNIS HUNTER, Doctoris ADAMS, et aliorum recentiorum scriptorum. Huic morbo erat, quod hydrargyrum præcipue accommodatum esse putaverunt, quin et nonnullis medicis, præsertim nostratibus, curationi penitus necessarium credebatur. Nunc autem, quum monstraverim, imprimis, quod vix opus erat, utpote quod omnibus concessum sit, morbos venereos, qui extiterunt ante Americam inventam absque hydrargyro sanabiles esse; atque secundo, quod morbus ille, qui versus finem sæculi decimi quinti se ostendit, cuique solo nomen Syphilis, et curatio per argentum vivum proprie applicari credebantur, ex æqualium medicorum fide, absque eodem metallo curari posse; satis mihimet demonstrasse videor, nullum morbum ad quem feliciter curandum necessarium fuit hydrargyrum, unquam extitisse. Utrumque, præsertim posteriorem materiam citationibus multo amplioribus illustrare poteram: nolui tamen brevitatem et perspicuitatem, propter inutilem doctrinæ speciem, projicere. BOERHAAVIUS laudatus est non ut rem aliquam labentem fulciret, sed ut quid Primus Europæ Medicus hac de re

anno salutis 1728 reputaret, intelligeret lector. Neque prorsus inutile fuit hic sententias hominum quales fuerunt Vigo, Torella et Massa, securitati et successui regiminis non mercurialis in syphilide, iis plurimorum et hodiernorum medicorum addidisse. Quæ vero curatio jam dicta absque hydrargyro tuta sit felixque, experientia haud ita exigua me confirmare juvat. Quousque plerumque expediat hac uti curatione alia est quæstio, de qua jam disserere fusius nequeo.

FINIS.